

*Piero Monaci:*

A D N E B U L A M

De filis teneris leves amictus  
Subtilis nebulae colore texti  
Gemmarum tenui tegunt fenestras  
Celsas aetheriae domus supernae,  
E somnis ubi nuper excitata  
Sese aurora parat, suam decoram  
Ut monstret faciem, corusca sole  
Atque ardens animabili iuventa.

Soror tu, nebula, ah, minor vagantum  
Nubium, placida et benigna custos  
Tot taliumque reconditorum amoris,  
Tu tristis, nebula, ac quieta valde,  
Tu, quae das speciem quibusque rebus  
Arcanam decus et peculiare,  
Quod potest dare tantum imago somni,  
Diligo faciem tuam haud videndam  
Corpusque aetherium tuum solutum,  
Quod tantummodo se procul videnti  
Offert atque abit huic imago inanis,  
Qui succedit ei nimis propinquus.

Cor meum, nebula, est tibi benignae  
Gratum, namque recondis obtegisque  
Ornatus mihi pulchritudinesque  
Multas eximiasque comis urbis,  
Quae LJUBLJANA vocatur, haec „amata“.  
Discedens magis hinc ego dolerem  
Pressus tristitia profundiore,  
Hanc quodsi nitidissimam viderem  
Pulchritudinibus suis amoenam;  
At clemens teneri tuum coloris  
Velamen varians nitore gemmae  
Me circumveniet, quasi ista numquam  
Mi relicta foret, sed in quiete  
Vidissem speciem levem soporis,  
Ut cui somnia sunt subinde amoris.

*Liubljana.*

*Vertit: S. Kopriva.*